

Redemptoris nostri Resurrectione voluit illustrare, mentes vestras peccatorum tenebris mundatas, virtutum radiis faciat coruscare. Amen. Quo eorum, qui modò renati sunt innocentiam imitari cœteris, & vascula mentium vestrarum exemplo præsentium luminum illustraretis, ut cum bonorum operum lampadibus ad ejus Sponsi thalamum, cujus Resurrectionem celebratis, cum prudentibus Virginibus intrare possitis, Amen. Quod ipse &c. At in re clarissima me lucem exquirere video; Leo im Magnus, qui paulò post ea tempora floruit, dubium omne tollit, ubi de Sacris Episcoporum ordinationibus epist. 89. hæc habet; Non passim, sed die legitimo ordinatio celebretur, nec sibi constare statui noverit firmitatem, qui Sabbati vespere, quod lucebat in prima Sabbati, vel ipso Dominico die non fuerit ordinatus. Ex veteri igitur Ecclesiæ ritu, utraque Vesperæ Dominicæ cujuslibet, ac proinde Paschalis etiam, diem Ecclesiasticum clauderant. Ita intelligitur, quid in subsequentibus vellet Resurrectionis Dominicæ diem eo honore dignum ex Patrum sensu asserens. Plura in re satis aperta adlenda suppetrent, sed hæc sufficere crediderim. Stet igitur, Ursum anno prædicto CCCXII. die 13. Aprilis obiisse ad vespem.

VIII. Quòd si constaret, Ecclesiæ Ursinæ dedicationem factam die 13. Aprilis, sicut constat, eandem Sanctæ Resurrectionis die celebratam ex Agnello, haberemus argumentum, quo ferè ad annum regrederemur Pontificatus Ursini proximum primo; Pascha enim eodem die 14. Aprilis celebratum est anno CCCXII. Cyclo Solis XXIV. Lunæ IX., litera Dominicali F. quare Liberius III. sedem ad annum CCC. finisse intelligentes, Ursumque circa ea tempora electum, Ecclesiæ Ursinæ non modò finiri, sed & cœpisse edificari potuisset, & demum dedicari eodem festo Paschatis, ac eodem die Ecclesiastico recurrente, quo tandem Ursus ex hac vita migravit. In eodem Codice, ex quo Agnellum descripsi (scriptus est autem Codex ex Apographo antiquiori circa tempora Constantiensis Concilii) habetur Indiculus dierum, quibus, ex antiquo Ecclesiæ Ravennatis more, cujuslibet Ecclesiæ urbis illius celebratur dedicationis memoria, in quo dedicatio Majoris Ecclesiæ consignatur, ut nunc, die ipsa 13. Aprilis. Ex eo apparet, veterem esse traditionem de die ipsa 13. mensis ejusdem, qua recurrente Paschali solemnitate, & Ursus obiit, & Basilica est dedicata. Id autem commodius obtineri non potest, ut factum credamus, quàm si ad Pascha quartadecima die celebratum Aprilis convertamur, qua obiisse nocte antecedenti die 13. subsecuta, cum præcedenti CCCXII. eodem Resurrectionis Sabbato dedicata fuisset, ne, si Pascha celebratum quæramus die 13. Aprilis, cogamur longius regredi ab Ursi ætate. Tunc temporis edificatum insigne Templum ita habebimus, quo Honorius Imperator Ravennæ affluè degens, ut apparet ex Codicibus Theodosiano, Justinianoque, & legibus ibidem datis, quas Rubeus diligentissime annis suis consignavit, opus ipsum Imperiali munificentia promovere potuit; id enim probabilius existimo, quàm non sine teste asseritur, Ursum videlicet ex opulentissimo Siculo patrimonio, cujus decedens Ursinam Ecclesiæ heredem instituit, Templum hujusmodi edificasse. Solennis enim Augustorum mos Ecclesiæ urbis ornandi, ditandique, ubi debebant, cum alia etiam rationum momenta suadeant, ut Honorium potius credam, & Siculos redditus Ursinæ Ecclesiæ legasse, & sumptus ipsos erogasse, quibus Templum insigne conderetur, & dedicaretur.

Tom. II.

IX. Vix autem divinare possum, quid in causa fuerit, cur Rubeus, qui cum cæteris quibusque ante se eandem Spartam ornandam nactis, ex Agnello totius ferè Historiæ Ravennatis seriem sumpsit, Agnellum sepius neglexerit. Porro l. gerat Ursum obiisse die 13. Aprilis, die Sancto Resurrectionis Dominicæ, quo olim Ursi n. Ecclesiæ dedicationem, quam proinde *Agnellus* nominandam censuerit. Qui igitur Ursum eundem obiisse fieri potuit, ut Rubeus tradit, post sedem viginti annorum ab anno CCCXXIII., quæ fuerat, ipso auctore, electus, anno videlicet CCCXXIII., quo Pascha die 21. Martii celebratum fuit, Cyclo Solis XV., Lunæ XIX., litera Dominicali C. ? Fabrus ex Rubeo errorem hausit, & auxit asserens Ecclesiæ Ursinam anno CCCXXIV. die Aprilis 13. dedicatam, quo die, ait incidit eo anno Paschæ solennitas. Anno tamen illo haud asserto die, sed longè alio Pascha celebratum est, videlicet 24. Martii, Cyclo Solis I., Lunæ V., literis Dominicalibus G F. Octavius Cajetanus Rubeum, & Fabrum secutus, hos eosdem errores errat, & ab illis recedens in alios incidit crisi notatos ab eruditissimis Actorum Sanctorum Collectoribus, ubi exhibent Vitam ab eodem concinnatam ex Rubeo, & ex quodam Ravennate monumento. Ita in Historiarum negotio error semel admissus erroribus augetur. Nullus sanè video, cur Rubeus, qui ex arbitrio Episcoporum Ravennatum Vitas, sedesque ampliat, & contrahit, ut Agnelli charactere Paschatis servaret, saltem non protraxerit Ursi Vitam, usque ad annum CCCXVI., quo retento potuisset Ursinam Ecclesiæ dedicatam tradere, ante undecim annos, anno videlicet CCCLXXV., septimo ab ejus electionis anno, siquidem Rubeus eundem electum tradit anno CCCLXXIII. Idcirco ipse libentissimè admissem, nisi obstasset, quæ in superioribus dictum est, & infra dicentur ob stare.

X. At rerum à Rubeo propinatarum, quæ sustineri nequeunt, nondum finis. Tradit (& ex eo Fabrus, Cajetanus, cæterique) Bassianum Syracusanum Romæ cœlitus monitum Ravennam ad Ursum Episcopum affinem suum venisse, qui postmodum ab Exuperantio Ravennatum Archiepiscopo, sive ab hoc Urso, ut alii arbitrantur (sic sepius loqui amat Rubeus) Laudis Pompejæ Episcopus factus est &c. Qui Rufum Capuanum Episcopum ab Apollinari creatum dixerat, potuit Bassianum Episcopum Laudis Pompejæ ad Mediolanensem Ecclesiæ spectantis, à Ravennate item Episcopo ordinatum tradere. At hæc quomodolibet fuerint, dudum ex Actis Sancti Bassiani ad diem 19. Januarii à Billando traditis observaverunt ad diem 13. Aprilis Henschenius, Sociique Chronologiæ rationem minime subsistere. Omissio enim, quòd Bassianus dicitur quidem Ravennæ fuisse in ejus Actis, sed nulla de Urso Episcopo, nulla de Bassiani cum Urso affinitate mentio habeatur; cum etiam narretur Bassianus Laude obiisse nonagenarius anno CCCXI., vel CCCXIII., postquam sedisset annis XXXIV., sit, vel ante Ursum biennio, vel eodem saltem anno, quo Ursus Episcopus est renunciatus, Bassianum Episcopum consecratum fuisse, si quidem, ut Rubeo placet, Ursus ipse anno CCCLXXIII. sedere cœpit. Hæc ferè ad Vitas quatuor laudatorum Pontificum ad Chronologiam spectantia adnotanda erant; in cæteris vix quidquam observari dignum occurrit.

G

VITA